A. M. D. G.

LEVES ENCOMIORVM ADVMBRATIONES

S. THOMÆ DE VILLANOVA
B. CLARÆ VIRGINIS DE MONTE FALCO
B. RITÆ VIDVÆ DE CASSIA

Ex Augustinensi Familia, nigro adumbratorio lapide vtcunq; delineatæ

PER F. VICTORIVM AB EPIPHANIA
Congregationis Excalceatorum S. Augustini
Italiæ Sacerdotem professum.

ET ILLVSTRISSIMO DOMINO

ISIDORO BENEDICTO
V. I. D.

Ac Totius Piceni Thesaurario Generali

DICATÆ.

MACERATÆ, Ex Typographia Caroli Zenobij.
M. DC. LXVIII.

DD. SVPERIORVM PERMISSV.

DE mandato, & commiſſione Adm. R. P. Ianuarij à S. Cruce Vicarij Generalis huius noſtræ Congregationis Diſcalceatorum S. Auguſtini Italiæ. Nos infraſcripti Sacræ Theologiæ profeſſores, legimus, & conſiderauimus hunc Librum, cui Titulus *Leues Encomiorum Adumbrationes &c.* cum annexis Poeſijs vernaculo ſermone conſcriptis. Cumquè nihil in eis inuenerimus contra fidem, aut bonos mores, quin imo pietati, & venerationi erga Deum, & Sanctos eius conſona, prælo mandari poſſe iudicauimus. Dat. Maceratæ in Conuentu noſtro S. Ioſeph die XII. Semptembris. anno M. DC. LXVIII.

Ego Fr. Antoninus à SS. Sacramento Auguſt. Excalceat.
Ego Fr. Hieronymus à S. Io. Baptiſta Auguſt. Excalceat.

NOs Fr. Ianuarius à S. Cruce Fratrum Æremit. Diſcalc. S.P. Auguſt. Congregationis Italiæ Vic. Generalis. Cum Librum, cui Titulus eſt: *Leues Encomiorum Adumbrationes &c.* cum annexis Poeſijs vernaculo Sermone compoſitum a P. Victorio ab Epiphania Sacerdote, ac Theologo noſtræ Congregationis duo Theologi eiuſd. noſtræ Congregationis de mandato noſtro recognouerint, & in lucem ædi poſſe probauerint, poteſtatem facimus, vt ille typis mandetur, dummodo in reliquis ſeruentur, quæ ſeruanda veniunt. In quorum fidem &c. Dat. Romæ 19. Septembris 1668.

F. IANVARIVS A S. CRVCE VIC. GEN.

Reg. Fol. 29.

F. Vinc. à S. Greg. Secr. Gen.

Si placet Illustriss.& Reuerendiss. D.D. FRANCISCO CINO Episc. Macer. *Imprimatur* Franciscus Cordella I. V. D. in Collegio de Propaganda Fide olim S.Th. Professor Can. Theol. Eccl. Cathed. Macer.

Imprimatur.

Ioannes Baptista Ferrus I. V. D. Canonicus Eccl. Cath. Macer. Vicarius Generalis.

Bartholomæus de Amicis I. V. nec non Phyl. ac Sacr. Thol. D. S. Officij Reuisor. vidit, &c. si placet Reuerendiss. P. Inquis. Anconæ.

Imprimatur.

F. Dominicus Maria de Ancecchijs S. Theol. Lector, ac Vic. S. Officij Macerat. Ord. Præd.

ILLVSTRISSIME DOMINE.

INter cætera inſignia, quibus à Deo ter Optimo Maximo S.P.N. Auguſtinus condecoratus fuit, maximum ſemper exiſtimaui, vel ſaltem maximè paulò inferius, quod Chriſtus Dominus in carne iam immortali, ſub mortalis viatoris ſpecie hoſpitio ab Auguſtino exceptus, licèt non agnitus, poſt impenſum ſibi humanitatis pariter, & humilitatis obſequium in ablutione pedum, Magnum illum inſtituit in regno militantis Eccleſię, talem etiam futurum in regno triumphantis, eiquè clauem auream tradidit, dicens: Magne Pater Auguſtine, hodie meruiſti videre Filium Dei in carne: Tibi commendo Eccleſiam meam; ſicquè ex eius oculis euanuit. Priuilegium eſt hoc Auguſtini, & non dum alteri conceſſum. Cui enim hominum dixit aliquando Dominus ore proprio, Magne Pater? Dixit ſiquidem generaliter loquens; Qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum, ſed ſingulariter, ſoli Auguſtino dictum fuit.

Tria ardenter concupiuit Sanctus Pater Auguſtinus, videlicèt Romam videre triumphantem, ac Filium Dei carne veſtitum, & Paulum audire prędicantem. Primum, & tertium conſequi non poterat, ſecundum præ cæteris concupitum obtinuit, nempè Filium Dei in carne vide-

re,

re, nec non, & ab ipſomet audire promeruit, Magne Pater Auguſtine &c. Sanctus Pater Franciſcus à Crucifixo ſtigmata, & clauos accepit; Auguſtino, non Claui, ſed Clauis, & Claua traditæ fuerunt. Clauis ſiquidem, qua eò vſque ad Sanctiſſimæ Triadis gyneceum penetrauit, quantum puro homini carne induto fas eſſe poteſt penetrare. Vlterius temere progredi conabatur; ſed ne ſcrutator maieſtatis opprimeretur à gloria, prohibitus eſt à puerulo, qui totum Mediterraneum Mare in paruam foueam pocèllo transferre indefeſſus laborabat. Clauam autem accepit: Eminentem videlicet ſcientiam, quà verus Hercules hydras, hæreſum monſtra profligauit, vndè in præfatione Miſſæ illius canitur: Deſtruxit hæreſes, errores repulit, hæreticoſque proſtrauit. Quinimò tot clauos acutiſſimos accepit quot hæreſiarchas acutiſſimis diſputationibus, & ſacræ paginæ authoritatibus, quaſi noua Iahel, tot Siſaras in cerebro percuſſit, & in terram defixit. Huic tanto, & tam Magno viro Chriſtus Dominus ſuam commendauit Eccleſiam. Ego vero homuncio in lucem editurus meas has elucubratiunculas, tibi magno viro, qui potens es opere, & ſermone, eas commendo, vt protegas, & paruum hunc libellum à nimis liberis, & ſolutis, nec non dicacibus Zoilis defendas. Immitte in eos gentilitium Leonem tuum, qui ſolo aſpectu, ac rugitu illos eliminabit. Quod autem in hoc opere grauiter olet, Liliorum tuorum fragrantia reddatur bene, ac ſuauiter olens.

Libenti, ac hilari animo munuſculum hoc accipe, & vt hoc libentius præſtes, inſpice, & contemplare vul-

tus

tus ibi delineatos, nimirum Sanctæ Thomæ de Villa Noua in Hispania, ac Beatarum Claræ Virginis, & Ritæ, quæ Vmbriam satis illustrarunt. Vale, quia multum vales, & plurimè vales. Diù viue, vt qui pendent ex te diu viuant, & videas filios filiorum tuorum; & post longam annorum seriem, Deus vocet te cum Benedictis.

Illustrissimæ D. T.

Maceratæ Kal. Decembris.

Humillimus Seruus, & quasi Verna

F. Victorius ab Epiphania.

DISCRETO, AC PIO LECTORI.

HOminem in meridie per vicos, & plateas cum lanterna Sapiens quæritabat Diogenes: Ego verò cum facibus, non hominem, sed Myronem quæro, qui eruditæ linguæ cælo, & lima, opusculum hoc limet, & perpoliat. Scio lapicidas amicis ictibus, ac tunsionibus formam lapidibus dare, eosque in Statuas elaboratos, magno pretio vendant, ac illis à populis cultum impendi, si Sanctos repræsentent. Esto igitur & tu talis, & has Statuas sine Symmetria elaboratas, doctus, & placidus Myron, ad perfectam redige formam. Verum si non Miron, esto saltem mitis, & officiosa Vrsa, & officio, ac beneficio linguæ informem hanc massam lambendo, formatam, formosamque restitue, nè tibi à me audire contingat,

Mitius inueni, quam te, genus omne ferarum.

Scio non de futuros Censores, à Romana Rep. non deputatos, Sed quid dico Censores? Lamiæ sunt, qui aliorum labores euiscerant, vt feraliter saturentur eis. De quibus Hor. 2. Car.

Neu pransæ lamiæ puerum viuum extrahat aluo.

Tota mea intentio, & finis non aliò tendunt, nisi vt legentibus vnam subripiam horam, in qua considerantes trium horum Sanctorum magnitudinem ex gratijs à Deo acceptis, illis afficiantur, ac ab illorum precibus adiuuentur. Hos itaque Sanctos humiliter exoro, vt te beneuolum inueniam Mæcenatem, Sic te Deus adiuuet. Vale.

NO-

226

N O V O

AVGVSTINIANENSIS RELIGIONIS ASTRO:
Antistitum
Exemplari optimo:
Pro Egenis, & Ebeatis
marzupio ditissimo:
Pro Viduis, & Orphanis
horreo exuberanti:
Pro omnibus
publico, ac communi ærario.
SANCTO THOMÆ DE VILLANOVA

Si comedi bucellam solus, & non comedit pupillus ex ea.
Iob. 31. B. 17.
Foris non mansit peregrinus;
ostium meum viatori patuit.
Iob. ibidem D. 32.

T H O M A S,
non clauditur tomis,
non inuoluitur voluminibus,
non angustiatur in typis:
nam,
Thomas, Abyssus,
pro qua mensuranda
validam non inuenio Dioptram.
Solus spiritus, qui fertur super aquas:

ſolus Deus maieſtatis,
cuius vox ſuper aquas multas intonuit,
eam librare valet.
Abyſſus altiſſimæ contemplationis,
profundiſſimæ humilitatis,
latiſſimæ charitatis:
in qua
Inſtitoris Petri nanis
de longe panem portans
placido illabitur decurſu:
at hæreſum myoparo
vorticibus abſorbetur:
fætida Acherontis cymba
in ſpiritu vehementi impingit in ſcopulos,
naufragatur in ſyrtibus.
Puteus aquarum viuentium,
fons epiroticus
in quo
extiꝺa in puteo Puella,
vnica Parentum fax
priſtinæ redditur luci,
emergit rediuiua.
Nouum ex aquis educitur volatile
præpetibus famæ pennis
Thomæ nomen, & gloriam
Indis inueꝺurum, predicaturum.
Ludit impauida Puella,
quæ valido Thomæ malleo
æneas mortis ſeras,

peſſu-

pessulum, & vectes ferreos
dentato forcipe versans,
confregit, contriuit,
in puluerem egit.
Non dum arbitra sui, quia septemnis,
ludendo asserit Thomæ virtutem
ad mortuos suscitandos.
Nouus Eliezer
subarrat ad puteum
filio Domini sui sponsam.
Accurrite greges tonsarum,
erumpunt gratiarum fontes:
bibite pro captu,
& extinguite vrentem sitim
tùm Martis, tùm Veneris,
tùm Mammonæ.
Effunduntur flumina prædicationis,
vt ea illuuione
sordescentia abluantur corda.
Euangelicus Demosthenes Thomas,
Sacer Tullius
in impios inuehitur Verres,
Catilinas damnat,
sestos defendit insontes.
Abyssus abyssum inuocat:
Thomas æmulatur Thomam,
Apostolum,
in desiderio videndi Christum:
Cantuariensem Antistitem,

in zelo ecclesiasticæ immunitatis:
Angelicum Aquinatem,
in angelica puritate,
Apostolus, Antistes, Angelus.
Vidimus, Gemellus.
cui ex vtero matris suæ
gemella connata est charitas,
germana miseratio:
Nam
ex gemino præcepto
congeminato æstuabat incendio,
erga Deum videlicet,
& erga proximum.
Vt clarus fulgeret in alio,
obscuris in hoc mundo pauperibus
splendorem cessit auri;
& inter cælestes candidatos adscribi cupiens,
candido se expoliauit argento;
vt sic.
Aureo Sole indutus, vt sol refulgens
argenteam sub pedibus suis videat Lunam:
Timens in morte pallore diffundi,
pallidum distribuit metallum,
sed pallidis inedia,
vt auri pallore
proprios expellerent pallores,
fortes redderentur, & incolumes.
Nouus Homo de Villanoua
nascitur prodigium nouum,

inue-

inueteratos hominum deprauatos mores,
ipsum vetustum mundum
senio exuturus,
innouaturus,
non Medeæ succis, & carminibus,
sed prædicationibus, & exemplis:
Asperum planat iter,
tortuosos, & reflexos calles dirigit,
ne quis offendat in lapidem pedem suum,
Quid nì nouum Proteum dixerim?
quippe qui
Mundo immundo, mundissimum:
insultati corpori, carne exutum;
vafro Dæmoni, Deificum
se exibuit.
Quorum
Pompas, Titillationes, Astus,
Veluti
Vanas, Exitiales, Callidas,
Nouus Athleta
Paupertate, Ieiunijs, Prudentia,
Viriliter
Spreuit, Compescuit, Elusit,
acturus Epinichia.
Nouus Tharsensis
diuersas transit in formas,
factus omnia omnibus,
vt omnibus prosit.
Veteranus miles, noua dimicat arte,

noua

noua orditur ſtratagemmata:
componit pegmata;
arietes eleuat
contra Cociti pergama.
Commilitant ei Superi,
angelicæ Virtutes ſuppetias ferunt.
Hic ſolutus ſæculo,
nigra indutus Auguſtini clamide,
baltheo præcinctus pellicino,
ſtricto gladio,
tragulam in vmbone ferens,
caſtra dirigit,
bellum hoſtibus indicit.
Caue Goliath,
quia Dauid proceſſit ad pugnam.
Sub potentiſſimo aphricano Duce,
non Scipiade belli fulmina,
ſed Auguſtino,
pugnas inſtruere didicit, & regulare.
Optimus igitur regularis regulatus,
exiuit

Regula,	Dux,	Anteſignanus
Diſtortis,	Aberrantibus,	Deſidibus:

eoſque mirifice

Regulauit,	Perduxit,	inflammauit

ad

Rectitudinem,	Bellum,	Victoriam.

Totus nouus in Religione,
noua fecit omnia:

Satis

Satis loquebatur silens:
Vacans ab opere
ad opus impellebat;
mouens se, motos frænabat, ac motus;
lites dirimebat extemplo:
Dissidentes concordabat,
altercantes pacificabat.
Olera mensam eius impinguabant,
& vt sapida redderentur
fames illis saporem dabat,
esuries sapida faciebat,
opiparabat inedia.
Humi cubans, vel super nudas tabulas:
aut (impellente necessitate)
in vili grabato,
ad vigilias incitabat.
Verus sic affectus
tanti Ducis optimus miles:
tanti Patris non degener filius,
Valentinæ præficitur Ecclesiæ,
petra salis à brutis lambenda.
Reluctatur pro viribus,
quia quantò in loco superiori,
tantò in periculo maiori quis versatur,
sub modio latere cupiebat,
à quo Deus
optimi tritici modium expetebat.
Per terræ Dynastam Carolum V.
Cæli, Terræque moderator Deus

Tho-

Thomam vocat ad Archiepiſcopatum.
Aſſentitur tandem,
ſciens meliorem victimis obedientiam;
& acquieſcere nolle,
vt peccatum ariolandi eſſe,
teſtantur ſacræ paginæ.
Humeros curuat ſub Cruce,
& in altum faſtigium euectus,
dat menſuram bonam,
confertam, coagitatam, &
ſuper effluentem.
Oculatus Paſtor in ſpecula
ouium piacula rimatur,
vt in ſe puniat;
non vt aliena;
ſed vt à ſe patrata.
Dicant ergo preuaricatores,
Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras,
attritus propter ſcelera noſtra.
Inſontem ſe victimam
pro ſontibus deſtinans aræ pœnitentiæ.
Felle amariora pocula
viſcerata Nutrix
ſitibunda ſorbet,
& videntur ſapida,
ac dulciora ſuper mel, & fauum,
quia paruulis profutura.
Cruentus Pellicanus
plurimas emortuas animas

redi-

redivivas erexit,
Deo direxit.
Flagellorum percussionibus,
disciplinarum ictibus
durissimis ex lapidibus,
veluti igniario
scintillas excussit:
suspiriorum folle perflante,
ignem accendit:
in glacie flammas excitauit,
in altum erumpere fecit
Proprij sanguinis,
ac lacrymarum vnda,
Dei flagellum coercet inundans.
Thomas de Villanoua
itinere imperuio,
calle non trito
ad beatitudinem perventurus in Cœlis,
abijt post aurum in Terris:
inhiauit argento,
sperauit in pecuniæ thesauris,
diuitum vestes concupiuit:
verum
vt nudos operiret,
exurientes cibaret,
sitientibus cados, & dolia aperiret;
deficientes reficeret;
periclitantibus puellis succurreret,
vel nuptui tradendo,
vel inter moniales claudendo.

C Id

Id astruunt ex templo repleta horrea,
frumento exuberantia.
Eia age;
siste agricola
claude marsupium:
iura boum quinque nè emas:
Stiuam nè contorqueas;
Terram nè proscindito,
in sudore vultus tui panem nè comedito.
A Thoma de Villanoua
disce nouum Messis genus.
Surgunt sine semine segetes,
sine bobus replentur horrea,
si Thomæ auxilium implores;
si egenis, non cupiditati laboraueris.
Isidoro ad aratrum defatigato
sufficiuntur Angeli,
& Sitientibus (nouus Moyses) fontem aperit.
Atqui,
Thoma orante implentur horrea.
Sitientibus, non fontem aperit,
sed cellam vinariam.
Quid mirum? Est Villanoua,
in cuius agro absconditur Thesaurus.
Hinc
noua germina, noui fructus.
Vende omnia, Villam hanc vt emas,
sicque sine labore
tua replebuntur promptuaria,
& vino torcularia redundabunt.

Ele-

Electorum frumentum Christus,
acervus tritici vallatus lilijs
replet horrea Thomæ,
eò quia Thomas replet esurientes.
Ipse replebit & tua,
si Thomam in te recognouerit.
Frumenti illius paleam
se existimans Thomas,
pascit animalia Dei,
non proprijs carnibus, & sanguine,
(vtinam liceret)
proprijs tamen prouentibus;
tùm Ecclesiasticis, tùm Paternis;
& fit refectio pauperum
mensa ieiunantis.
O Beatam paleam,
quæ succinum Christum sequuta,
in die Ascensionis illius,
totis duodecim horis
in puro pependit aere.
Sex horis in stipite clauis affixus
pependit Redemptor,
duodecim Thomas, non crucifixus,
sed Electri vi eleuatus:
ni dixerim,
validis amoris clauis
crucifixo concrucifixum.
Cucurrisset anima illa post Christum
in odorem vnguentorum illius,
si totum iam pauperibus erogasset,

& ni egenorum preces obstitissent.
Qui viuens satiauit esurientes,
etiam post mortem præbet alimoniam.
Iudicem te interpello.
Arent pauperculæ mulieris vbera:
currit illa ad Thomæ sepulchrum,
arripit inde flosculos,
fidens vberibus admouet,
mox exarentia prius vbera
profluo scatent lacte,
puro liquore manant,
& flosculus filius fame tabidus,
& sine humore cadens,
illicò refloret,
reuiuiscit, impinguatur.
A Thoma dum cæci illuminantur,
vespertiliones transeunt in Aquilas,
Talpæ commutantur in Linces,
Argum induunt.
Petro non est pro Claudis Aurum, & Argentum,
sed sanitas in nomine Iesu.
Vtrumque reperies in Thoma,
aurum scilicet, ac sanitatem,
nam, & ditat, & sanat,
& facit claudos alipedes Cyllenos:
Iasijque Regis filiæ Atalantæ
aureis sine pomis nuberent,
quia plantis leuiores,
cursu velociores.
Vlceratos Lazaros emundat:

obno-

obnoxia vlcera,
(nè veſtigio quidem relicto)
curantur.
Fortis Apoplexis
Eſculapio, Auicennæ, Hipocrati, Galeno
curatu impoſſibilis,
curatur à Thoma
ſalutari ſigno, ac virtute,
vnico ſalutis humanæ medicamine,
ſigno ſcilicet ſanctæ Crucis.
Chirurgus continuo ſexennio
podagræ compedibus innexus,
confractis illicò vinculis,
libertate donatur.
Tubercula euaneſcunt,
manus eius in Cophino ſeruiunt,
pedibus terram pulſat, & ſaltat.
Dixiſſem Thomam probaticam piſcinam,
ſi in illa mortui redijſſent ad vitam.
Vide nouum Alchimiſtam,
qui ferrea Captiuorum vincula
auro ſoluit, argento liquat,
& redimit eos de manu inimici.
Eximium attende Fuſorem
prægrandem ſuimet Statuam
in æuum permanſuram erigentem,
quia ex Auro, Argento, & Ære
in pauperum fuſorio colatis;
non in campo Dura,
& ideò non à lapide in puluerem redigendam.

Hanc intuere nouam Electri speciem
in charitatis camino commixtam.
Non dispersit Thomas,
non dedit pauperibus:
pauperum in numismate recognouit imaginem,
& ideò pauperibus reddidit,
nè alieno grauaretur ære.
Christi Condus, & Dispensator fidelis,
indigentibus subuenit,
nil suum æstimans, sed pauperum.
Verius tamen illum dicam
prodigum auarum
pecuniam suam dedisse ad vsuram:
tenacemque profusorem cessisse in terris
cœlorum Trapezitis
opes quandoque perituras,
vt illas in æternitatis emporio,
in ditissimis cœli nundinis
perpetuo centenario fænere,
sub Christi fideiussione,
Stipulantibus Euangelistis,
testibus vocatis Angelis,
omnia inamissibiliter recepturum.
Nouum auaritiæ genus
cariosa bona ligurire cum egenis,
semper noua recepturus,
quæ non veterascunt,
quæ non deficiunt;
tinea enim ibi non corrumpit,
neque fures effodiunt.

233

Sic interim
Ex opulento Mida,
vix pauper Belisarius:
Sic ex diuite Archiepiscopo,
inops clericus efficitur,
beatitudinis Regnum possessurus,
quia Christum pauit in pauperibus.
Asciuissem tibicines,
ni Tibicen vnus
enormi diu depressus hernia,
voti compos effectus,
tuba iam pridem torpente
ad illius tumbam
acceptam à Deo Thomæ precibus sanitatem,
concinnè, & ad numerum peruulgasset.
Cessurus è viuis quotidie morientibus,
pergens ad occasum splendidus iste Sol,
occidit in Occidente,
in vltima scilicet esperia.
Sed occasus illi Orizon;
Esperus, Phosphoros, & Aurora,
quia vixit mortuus,
vt post mortem semper viueret.
Sagax colonus
in agro mortis proiecit semina vitæ,
vbi cultus vtilior,
vbi fructus vberior.
In tabe mortis excrescunt olera virtutum.
Altæ Crucis stipiti
vitis suæ palmitem alligauit, vt

eà

eò aſcenderet alto,
quò altiùs fulcimentum.
Noua Phœnix in mortis gelu,
ex odoratis virtutum lignis
compoſito rogo,
aſpirationum alis flammas excitat,
vt combuſta iterum viuat.
In alieno ſtrato
inuido ſternitur mortis iaculo,
ni forte dulciſſima amoris cuſpide
vulneratus, tranſuerberatus.
Sic non habens vbi reclinet caput,
ad floridum Sponſæ lectulum inuitatur.
Qui pro multis laborauit in terris,
meritò ad requiem aſſumitur in cœlis,
& à vili, rudiq; grabato
in florida culcitra deliciatur.
Inter Eccleſiaſticos Præſules, Præſul optimus
à Carolo V. euectus:
ab Alexandro VII.
non Imperatore magno,
ſed Pontifice Optimo, Maximo
in Sanctorum numerum eſt relatus.
Viuit ergo mortuus,
micat in tenebris, & vmbra mortis,
lucet in tumulo,
radiat in Sepulchro;
nouus pyropus ardet in Empireo,
Sanctus Thomas de Villanoua.

PRÆ-

PRÆSTANTISSIMA VIRGO

BEATA CLARA DE MONTE FALCO

IN VMBRIA SPOLETANÆ DIOECESIS

Singulari Priuilegio
à Christo Domino
in illius corde adamussim insculpto
crucifixo
Clarificatur

Pone me vt signaculum super cor tuum.
Cant. 8. B. 6.

Legitimam Augustini Filiam,
etiam in accidentibus similem,
Claram agnosce,
De vulnerato in corde Patre
cordialis propago
cor gestat vulneratum.
Sapientem hanc Virginem
cælestis excidit Phidias,
in cuius corde, non clypeo
propriam cum hostibus pugnam
incidit, cælauit, insculpsit,
victoriam, & trophæum.
Vade in Montem magnum, & altum,

& ibi videbis Sponsam agni
habentem à Deo claritatem.
Procul hinc absint libitinæ,
vbi mors obscurum nil habet,
sed omnia in luce clarescunt,
& stragula debentur aurea,
lucentia, fulgentia,
Corruptionem, nec post mortem patitur,
in puluerem non reuertitur,
quasi in Adam non peccasset.
In Clara tota, obscuritatis nihil.
Clara nomine,
clarior operibus,
Clarissima priuilegio.
Conueniunt rebus nomina sæpè suis.
Splendida fax ista,
semper, & vbiq; clara,
à montibus illuminat,
vt in montibus claritatem exquiras.
Ex mamertina custodia laxatur Petrus,
& effectus Sathanas
fugit exterritus Crucis aspectum.
Fugienti, ac timenti Petro
impauidus occurrit Christus
Romæ iterum crucifigi paratus.
Rubore perfusus retrocedit Petrus.
Inter Purpuratos ascribi debuit
ad supremum Pontificatum mox eleuandus.
Æterni Pontificis thronus,
non alius nisi Crux.

ergo

ergo & Vicarij.
Amator pacis, non vult seminare discordiam
inter septem Vrbis colles;
sacro sanguine vnusquisq; ablui cupiens,
Alium quærit, non Caluariæ locum,
sed in corde Claræ
iterum crucifigi desiderat;
tantò hic iucundius, & ditius,
quantò ibi magis amare, & miserè;
Indiarum pauperes oræ
similibus non irradiantur pyropis.
Tot ibi crysoliti,
flammantes, tot carbunculi
quot sanguinis guttæ,
magni valoris, quia Claræ,
maximi, quia Christi,
Ex Virgine nascitur in antro,
& fulget lux pastoribus,
cælum reseratur in specu,
Spiritum emittit in cruce,
tota tenebrescit terra Palestinæ.
Oritur viuomortuus in corde Claræ,
& splendor oritur sine tenebris.
Mortem dico vitalem,
quia vulneribus mortem intentat;
sed dant vulnera vitam,
dum fons viuus oritur in fonte vitæ.
In Crucis regale solio
spinis coronatus,
flagellis exaratus,

 duos

duos inter latrones crucifixus
clarificatur à Patre.
Pendens in corde Claræ,
conuiuit, & commoritur illi,
dans illi vitam, & claritatem æternam.
Alia eſt claritas Solis, Chriſti
quia lux vera, in qua videbimus lumen.
Alia claritas Lunæ, Mariæ.
quia Mater veri luminis, veri Dei.
amicta, calceata, coronata
Sole, Luna, Stellis.
Luna perfecta, & ſine macula:
ſemper in plenilunio,
quia ſemper Deo plena.
Alia claritas Stellarum. Sanctorum.
Stella enim differt à Stella in claritate,
quia magis, & minus claræ.
Vna dempta originali macula,
Claram reperies totam claram.
Super aſpidem, & baſiliſcum ambulabis,
& conculcabis ſerpentes ignem ſpirantes,
ſi præfiguratum in ſerpente æneo
aſpexeris in corde Claræ,
Chriſtum Crucifixum.
Nouum diſpoſuit Dominus paradiſum,
in cuius medio creuit arbor vitæ,
ad quam nulli prohibetur acceſſus.
Ex arbore vitæ, quid, niſi fructus vitæ?
Si viuere cepis,
ſi mortem times,

accede,

accede, collige, comede.
Sed si Christus crucifixus est in corde Claræ,
cur non Deicida Clara?
Clam crucifixit, & abscondit,
quin & sepeliuit in corde.
Visum, & repertum corpus delicti,
ac aliæ circumstantiæ
Ream clamant, & probant!
Quid adhuc egemus testibus?
ergo conuicta deposcitur ad pænam.
Non in bonis fortunæ,
quia paupercula, quia miserrima.
In veris, & stabilibus bonis,
datur præuentio Fisco Dei.
Ergo luat in corpore parem pænam;
crucifixit; crucifigatur.
Semel tota spectante Ierosolima, crucifixum,
iterato dolore crucifixit in corde:
ibi crucifigatur & ipsa.
Sæuire in mortuum, ferina crudelitas,
& ideò maximè punibilis.
Vna salus, vnum superest effugium;
si luculentus adsit Orator,
si sapiens Aduocatus patrocinandam assumat.
En, iam sugestum defensurus ascendit:
audiamus.
Crucifixisse Christum arguitur Clara;
quia in corde illius pendet crucifixus:
negare non potuit; confessa est.
Ergo rea? nequaquam,

& inde

& inde innocens, vnde rea imputata?
Crux, & Crucifixus,
& omnia mortis illius instrumenta
reperta sunt in corde Claræ?
ità sanè, sed excisa ex corde Claræ.
Ergo non agens, sed patiens,
non crucifigens, sed crucifixa.
Innocens igitur, & non rea
à sanguine iusti huius,
& non plectenda, sed amplectenda:
non condemnanda, sed commendanda.
Interim, fulcite eam floribus, stipate malis,
quia dolore simul, & amore languet,
deliquium patitur.
En viuit Clara, iam non Clara,
viuit vero Crucifixus in corde Claræ.
Defert Moyses legem in tabulis lapideis,
quia ad corda lapidibus duriora;
& splendida fit facies eius.
Fert Clara legem amoris:
sed in tabulis cordis carnalibus:
qui lynces, quæ aquilæ intendent in eam?
Micantem inde claritatem
vespertiliones sustinere non valent.
Vade, & vide visionem hanc magnam,
verumtamen solue calceamenta ex pedibus;
& inuolucra depone carnalium cogitationum.
Theresia Iberiæ splendor,
quasi cœleste numen, nil terreum habens,
à Cælite iaculatus in corde.

At

At supremus Praxiteles Christus
semetipsum insculpsit in corde Claræ.
Astruerem, nisi fides obstaret,
vera metamorphosi
cor Claræ in cor Christi transformatum,
Sacramentatum.
Luminosis pariter, ac peracutis
quinq; pennicillis
pinxit Seraphim in corpore Francisci
veram Christi imaginem:
apparuerunt vulnera
erupit sanguis:
Obstupuit mundus in repræsentato Crucifixo
cruci non affixo,
viuente, ambulante, colloquente.
Obstupescite cælorum incolæ
totam intuentes passionem
compendiatam, abreuiatam in corde Claræ.
Qui mediterraneum exiguo haustum cratere,
in parua poterat claudere fossa,
amarissimum passionis oceanum
in paruo compressit corde Claræ,
Ibi asseruit potentiam,
hic reduxit ad actum.
In byssino velo ex Cruce,
columnàq; pendente
herculeam lege inscriptionem:
Tam in doloribus, quàm in fauoribus;

NON

NON PLVS VLTRA

Tres in cœlo sursum,
& tres in terra deorsum
verum dant testimonium.
In cœlo Pater ingenitus,
Filius vnigenitus,
& Spiritus Sanctus ab vtroq; procedens.
In terra, Spiritus aqua, & sanguis.
Tres in cœlo, vnum sunt in essentia:
Tres in terra
vnum sunt in assertionem vnius veritatis:
Spiritus: idest, Anima Christi
Patribus in limbo expectantibus:
Aqua, & Sanguis,
ex puncto Christi latere profluentes,
hominibus in terra expectantibus.
Tres etiam sunt in corde Claræ,
carnei scilicet globuli
Sanctissimæ Triadi testimonium dantes,
ex vna cordis essentia promanantes:
Et hi tres vnum sunt
in assertionem illius veritatis
Ternarius numerus, personas:
æqualitas in pondere, & mensura,
testatur, & dicit,
qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus
Tres asserunt personas,
quia alia est persona Patris,
alia Filij, alia Spiritus Sancti,
in vna tantum essentia.

Mili-

Militia est vita hominis super terram;
inde fortis mulier Clara
Amilitarem congessit apparatum.
Lancea ex equo præcipitabit Equitem
& ex proprio corde
efformato tormento bellico,
pilas effundet in hostes,
clauos, & catenas,
quibus sibi viam aperiat ad victoriam.
Potentissimos tres exercitus
Mundi, Dæmonis, & Carnis
trina explosione profligabit.
Classicum corporis sui flagellis pulsans,
conuocat ad certamen, & dicit,
Estote fortes in bello,
& accipietis regnum æternum.
Ecce iam Christi flagellis
eijcio ementes meos assensus,
& vendentes vanitates, & mendacia,
ac brutalia desideria,
vt fiat cor meum immaculatum,
& non confundar.
Equitem Christi qui se profitetur,
Crucem ferat in pectore,
Lanceam arripiat, & currat in Catradomo,
Troiæ ludum exibeat
Lauream consequturus,
& claritatem æternam.
Amen.

BEATA RITA VIDVA DE CASCIA

IN VMBRIA SPOLETANÆ DIOECESIS,
miris
à Christo Domino fauoribus,
& gratijs
ab vtero Matris insignitur.

Sicut Lilium inter spinas &c. Cant. 2. à. 2.

Arcanam vim magnetis non sentis?
deliciarum vulpico capiti inocuo
læsisti caput,
non tamen lapidi vim ademisti.
Nimia forsan criminum mole grauatum
potens Ritæ Heracleon
trahere non potuit.
Trahet tandem, & mouebit te de loco tuo,
& refiget de glutino.
Signa verba, & nota mysteria,
non persico, aut caldaico idiomate,
sed vernaculo Ausoniæ sermone,
(anagrammaticè tamen) prolata,
& Ritam esse magnetem agnosces:
nam Rita, TIRA, trahit.
Sequamur ergò, si trahit
O quæ habitas in hortis paradisi,

trahe

trahe nos post te, curremus
in odorem vnguentorum tuorum
simplices effecti columbæ
ex accipitribus:
Nauem illam,
quam Ritæ vincula non trahunt.
non parua remoratur Echeneis.
Tardam tamen; & onustam, &
à voluptatum Remora fixam,
trahet aliquando Rita
ad pœnitentiæ litus.
Vastam in Tiberi consistentem nauem
vanos hominum, bestiarumq; conatus
deridentem,
vna vestalis virgo
Claudia nomine
mollis, & delicata,
vno tenuissimo pellicino cingulo,
de consistentia mouit,
de limo extraxit,
& quasi ex papyro puerile curriculum,
ad placitum circumegit.
Validiori charitatis cingulo,
ab Augustino cingulata Rita
exiguum phaselum,
leuissimum scilicet animum tuum,
qui ab omni spirantium vanitatum vento
mouetur, & circumfertur
fortius, & suauius ad Deum trahet.
Vide prodigia, attende miracula;

 Arre-

Arreptitij eripiuntur à Rita;
& arripiuntur expulso dæmone:
Trahuntur attracti;
Velociores pardis currunt enerues:
claudi saliunt velut ibices:
cæci vident; surdi audiunt; claudi ambulant.
Quot ad eius sepulchrum pendent tabellæ
tot enumeras veritatis testes; tot assertores;
tot præcones; tot buccinatores.
Ex vetere senectutis, & sterili:
ab emortuis radicibus:
mariosis ex stipitibus;
velut Isaac; & Ioannes Baptista;
consurgit nobile germen,
& eò excrescit,
quantum lenta solent inter viburna cupressus.
Gestanti in vtero Matri,
quæ, & qualis sit futura filia,
colloquio reseratur angelico.
Quo in lucem edita vocetur nomine,
oritur hæsitatio;
quæ superna reuelatione tollitur,
& Ritam asserit vocandam.
Hyblen ego, non Ritam vocitassem,
dum in ore infantulæ mellificant apes.
O felicem alueolum;
in quo apes mellificio intentæ
albæ conspiciuntur.
Columbas vidi albas, non apes.
Ritæ apes dealbescunt in ore,

quia mel, & lac sub linguâ eius.
A teneris vnguiculis
solidum præbuit sanctitatis specimen,
lusus pueriles exosa,
ludebat precatorijs calculis,
calculos iam examinans cum Deo faciendos.
Quasi futura altaris ministra,
altariolis componendis, & exornandis,
se neglecta, delectatur;
aliarum puellarum conuersationem fugiens,
gaudet solitudine
vbi audiat loquentem ad cor.
A parentibus senio confectis,
& iam collabentibus,
duodecim annis nata despondetur viro.
Diu restitit indefessa,
quæ inter sacrarum Virginum choros,
Christo inhiabat nubere.
Cessit tandem deplorans amittendam puritatem,
